



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 81. Fœdus Papæ, Cæsaris, & Galliarum Regis adversus Venetos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

mana Beneficiis providentur, eam acce- Sæcul. XVI.
derent, atque Annatas solverent: hanc A.C. 1505.
in rem alias ab Antecessoribus suis super
his editas Constitutiones confirmavit.

§. LXXXI.

Fœdus Papæ, Cæsaris, & Galliarum Regis adversus Venetos.

Cum Veneti fines suos latius ubique Marian. lib. 28.
extendendo Ecclesiæ ditionibus, necnon Ducatui Mediolanensi, ac ipsi
etiam Augustissimæ Domui Austriacæ
non leve detrimentum inferrent, hinc
Julius Pontifex illis graviter indignatus,
adversus eos potissimum promovere con-
nabatur armorum societatem, Cæsarem
inter, & Franciæ Regem Blesi initam.
Equidem Papæ jura, ad quæ vindican-
da foederatis accesserat, haud exigui
erant momenti, quippe Ravennam, Cer-
viam, Faventiam, Ariminum, Forum
Cornelii, harumque urbium territoria
Sedi Apostolicæ, cujus antea erant,
restitui petebat. Hac rerum conditione
Cæsar rebus suis haud defuit; Rex quo-
que Galliarum Mediolani Ducis jura fe-
cit sua. Ad idem foedus invitabantur eti-
am Ferrariæ Dux, Marchio Mantuanus,
Florentinorum Respublica, atque Hun-
gariæ Rex, adeo, ut ex tot Foederato-
rum numero, ac potentia Venetis vix
non

Sæcul. XVI non extremum impenderet exitium. Ce-
A. C. 1505. terum Fœderis pacta, quæ Pontifex
 cum utroque Rege sanxerat, jam anno
 præcedenti vigesima secunda Septembris
 firmabantur, eodem nimirum die, quo
 Venetorum Republica cum Turcis pa-
 cem inierat, ut nuper memoravimus.

§. LXXXII.

*Fœderis successus ob Maximiliani tar-
 ditatem interceptus.*

Verum cuncta hæc consilia Maximiliani
 cunctatio disjecit, nequidquam eum
 stimulante Cardinale de Ambasia. Eius
 quoque tergiversationem expugnare co-
 nabantur Galli pollicitationis amplitudi-
 ne, qua se mediam partem summæ, quæ
 pro Ducatus Mediolanensis diplomate
 solvenda promittebatur, prærogaturos
 spondebant, hancque in rem fidem suam
 obstringebant, necnon re ipsa promissis
 stare constituebant, etiam fide data, se
 eidem, quamprimum in Italiam venisset,
 alteram quoque partem numeraturos.
 Ast ille adventum maturare spondit,
 continuo tamen moras traxit, causatus,
 proprii Regni sui negotia urgere, quæ
 ob Italicum iter haud negligere posset. Ni-
 hilominus concludebatur armorum socie-
 tas non sine magno Venetorum terrore.

§. LXXXIII.